1561º d. 11 8bris Ex Ms: Bielinsiano.

# Literæ Mr. Cromeri ad regem

Accepi tandem nudius tertius responsum mtis V. regiæ de formula compromissi quid mihi faciendum est. Quanquam autem mallem rescripsisset ea mihi certi aliquid, quam rem totam judicio meo commisisset, tamen iam inde ab initio ita fore conciebam. Dabo autem operam, quemadmodum hactenus feci, ut ex usu et dignitate mtis V. regiæ omnia fiant utens advocatorum consilio quos ea mihi adiungere dignata est. Sed nescio quonam fato mtis V. regiæ fiat tardiuscule, et negotium hoc progrediatur. Nunc quoque aliquot septimanis non potero formulam compromissi cæs. mtiw exhibere. Expectabo enim D. Maxillæ adventum, qui febri impeditus, una cum filio Venetijs substitit, quemadmodum ipse mihi scripsit. Volscium non prætermitto monere de omnibus, quæ mihi in mentem veniunt, quæque res postulat. Scripsit autem mihi Roma D. Ticinius, ea ipsa hora, qua ad me dabat literas, allata ab eo fuisse mandata regia quorum exempla non dubito ab ipso Volscio mihi missa esse. Sed ea nondum allata sunt. Ego vero mtis V. regiæ literas, ad eum scriptas hoc triduo transmittam.

Nicolaus Cossla per totum hunc fere annum, satis diligenter mihi pecuniam menstruam mtis V. nomine curasset. interea um iam mensem, nihil mihi misit, ac nunc demum, cum tam diu me suspensum tenuisset, scripsit mihi se deinceps eam mihi non esse transmissurum, sed Cracoviæ annumeraturum idque in fine cujuslibet mensis. Esset id mihi non modo difficile, verum etiam damnosum. Peto igitur a mte V. regia, jubeat ea, eo loco mihi pecuniam curari, quo ipsi servio. Nec eam

modo

modo, quae in praesens debetur, verum etiam unde in futurum sumptus faciam, ita ut trimestre stipendium, ante initium cor[um] ipsorum trium mensium, semper mihi ubicunque ero annumeretur, quo liberiore et solutiore animo Mtis V: regiae negotiis incumbam. Erit autem liberalitati Mtis V: regiae, consentaneum si ea deinceps pro florenis singulis maleros mihi mitti jusserit. Simili provisione etiam D. Antonius opus habet. Nam ei quoque vix tempus dimensum suum numeratur, et quidem Cracoviae unde suae sumptu ac detrimento, vix huc perferri pecunia potest. Quemadmodum facile Mtas V. intelliget. Plura nunc scribere non possum, propter celerem discessum Veredarei Caesarei, de quo nunc demum mihi indicatum est, cum is esset fere equum ascensurus. Deum precor ut Mtem V. regiam diutissime servet salvam et incolumem. ~~~
Pragae 11 8bris 1561.

Wolshemu zawsze wyrażam, co zrozumieć potrzebnym.